Caj. 29-681a/bis R. 21322

ELEGIA
IN OBITUM
PHILIPPI V.
HISPANIARUM REGIS.

AUTHORE

D. LINO DOMINGUEZ,

UNDECIM ANNOS NATO.

IN SCHOLARUM PIARUM

CÆSAR-AUGUSTANO COLLEGIO.

O Mors crudelis cur patras tanta nefanda?
  Non tibi ſuffecit, tot rapuiſſe viros?
Num ſubit humani rapiendi corporis ira?
  Regales homines non colis ore procax?

Non diadema colis, non mitram, ſceptra, nec aurum;
Sed tamen exæquas omnia falce furens.
Tu mors immitis vità furiata Philippi,
Vitæ rupiſti fila caduca ſuæ.
Inſigni aſpiciens nitidam diademate frontem;
Effrons es telum tu jaculata manu.
Hinc labor, hinc primum regales venit in ædes;
Effudit lachrymas Regia tota domus.
Hinc dolor Hiſpanas venit gemebundus ad oras:
Belligeros præſsit grande doloris onus.
Acceſsit mortis paulatim rumor in urbes,
Admonitos Cives poſt dolor anxit atrox.
Tecta petes; homines effundere verba videbis,
Quid dicant, capies, nil niſi triſte canent.
Pro letho aſpicies nigra, qui veſte teguntur,
Reddere Magnates triſtia ſigna viros.
Denique fatorum Regis ſibi conſcius Orbis,
Aggemit, ærumna mergitur ipſe gemens.
Sunt teſtes Urbes lachrymarum, ſunt loca, rura,
Quæ mortem Regis nocte, dieque dolent.
Ne ſtupeas, mœſtis miſceri dicta querellis,
Nam qui victor erat, funere victus adeſt.
Qui innumeras nimia vicit virtute catervas;
Qui tenuit plures iſtius Orbis opes;

En

En jacet in tumba. Quid proſunt palma, talenta?
Nil : quia ſe functo, funus ademit opes.
Iſtius ad tumulum properans accede viator,
Nec tibi ſit durum , dicere : pace jace.
Ad Regis tumbam poſtquam mandata patraris,
Imò verba tuo talia corde tene.
Sufficit arboreum funeſta in morte pheretrum,
Cui vivo, nec opes, nec ſatis Orbis erat.
En Morte eſt victus , qui maxima millia vicit,
Quem multis fruitum ſola ſepulchra tenent.

FINIS.